

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. X - N. 1

1978

COMMUNICATIONES

PONTIFICA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1978

Decimo Anno

EX ACTIS PAULI PP. VI

| | |
|--|----|
| Allocutio ad Sacram Romanam Rotam | 5 |
| Allocutio ad quosdam Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septemtrionalis | 11 |

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Episcopis

| | |
|--|----|
| De titulo tribuendo Episcopis officio renuntiantibus | 18 |
|--|----|

Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

| | |
|--|----|
| Litterae circulares ad Archiepiscopos et Episcopos Dioecesanos | 19 |
| Epistula Exc.mo ac Rev.mo D. Quinn | 20 |
| Epistula Em.mo ac Rev.mo D. Card. Salazar Lopez | 21 |

Pontifícia Commissio de Spirituali migratorum atque itinerantium Cura

| | |
|--------------------|----|
| Decretum | 23 |
| Normae | 24 |

| | |
|-----------------------|----|
| COMMISSIONE | 33 |
|-----------------------|----|

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in apparandis Canonum Schematibus

I. Coetus studiorum de Sacramentis

| | |
|--|----|
| Titulus IV: De Sacramento Paenitentiae | 47 |
| Titulus II: De Confirmatione | 74 |

| | |
|--|----|
| <i>II. Coetus studiorum de Iure Matrimoniali</i> | 86 |
|--|----|

| | |
|--------------------|-----|
| Notitiae | 128 |
|--------------------|-----|

— Aliqui petierunt ut addatur norma de potestate quam habent Ordinarius et parochus personalis assistendi matrimonio suorum subditorum.

Propositio placet et Consultores communi consilio hanc formulam redigunt:

Can. 312 bis

Ordinarius et parochus personalis vi officii matrimonio solummodo eorum quorum saltem alteruter subditus sit intra fines sueae dictionis valide assistunt.

Can. 313 (CIC 1096)

§ 1. *Parochus et loci Ordinarius, quandiu valide officio funguntur, possunt facultatem intra fines sui territorii matrimonio assistendi, etiam generalem, delegare sacerdotibus et diaconis.*

§ 2. *Delegatio facultatis assistendi matrimonii, ut valida sit determinatis personis expresse, immo si de delegatione generali agitur, scripto dari debet.*

— Suggestum est ut initio dicatur « Loci Ordinarius et parochus ... ».


Propositio omnibus placet.

— Nonnulli conquesti sunt de nimis lata facultate delegandi ad assistendum matrimonii, quae in canone proponitur et petunt ut aliquo modo limitetur, ex gr. ut delegatio generalis dari possit ad tempus certum tantum, vel ut cooperatoribus tantum stabilibus parochi dari possit. Est praeterea qui censeat quandam laesionem iurium parochi haberri si loci Ordinarius facultatem generalem matrimonii assistendi aliis deleget.

Alii autem petunt ut etiam laicis facultas assistendi matrimonii delegari possit; unus praeterea suggestit ut facultas delegata subdelegari aliis possit.

Aliqui Consultores censem considerandam esse propositionem admittendi etiam laicos ut testes qualificatos ad assistendum matrimonii ideoque ut ipsis quoque facultas assistendi delegari possit. Agitur enim de munere quod non importat exercitium iurisdictionis et ideo non adsunt graves difficultates quae talem delegationem prohibit.

Unus Consultor concordat ut aliquid dicatur in Codice de possibiliitate delegandi laicos ad assistendum matrimonii, addita tamen clausula « de licentia S. Sedis »; quod probatur etiam ab alio Consultore,



qui necessariam quidem aestimat clausulam « de licentia S. Sedis », eo quod vitandum est ut, ubi sufficientes sacerdotes vel diaconi habeantur, matrimoniis assistant laici tamquam testes qualificati.

Tertius Consultor praeferit ut nihil in Codice dicatur, ita ut ad rem provideatur per facultates extraordinarias a S. Sede concessas.

Moderator Consultores monet ut hanc quaestionem profundius considerent, ita ut crastina die decerni possit qua ratione sit procedendum.

— Quoad § 2 facta fuit suggestio ut delegatio facultatis assistendi matrimoniis non tantum *determinatis personis* detur, sed etiam *ad matrimonium determinatum*.

Consultores, suggestionem attente considerantes, censem limitacionem *ad matrimonium determinatum* apponi posse tantum si agatur de delegatione speciali, nam si delegationi generali apponetur, ipsa ratio delegationis generalis caderet.

Suffragatio fit an placeat apponere talem limitationem delegationi speciali: placet 4, non placet 3.

Unus Consultor, approbantibus aliis, ita formulam proponit:

« Ut valida sit delegatio facultatis assistendi matrimoniis, determinatis personis expresse dari debet; si agitur de delegatione speciali, ad determinatum matrimonium danda est; si vero agitur de delegatione generali scripto concedenda est ».

Can. 314 (novus)

Delegatio specialis concedenda non est nisi postquam provisum sit de omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

— Est qui censeat hunc canonem supprimi posse, quia superfluum.

Aliquis Consultor concordat, altero contradicente, quia, si supprimetur, dubitari posset cuinam competat de illis providere quae ius constituit ad libertatem status comprobandam.

Alii Consultores volunt canonem retinere.

— Animadversum est formulam canonis continere clausulam invaliditatem: « *nisi postquam etc. ...* », ita ut quis concludere possit delegationem valide dari non posse, nisi quando omnia documenta de statu libero parata sint.

Animadversio placet Consultoribus, qui, communi consilio, ita formulam canonis redigunt:

« Antequam delegatio concedatur specialis, provideatur de omnibus quae ius statuit ad libertatem status comprobandam ».

Can. 315 (novus)

Matrimonium contractum assistente sacerdote vel diacono, facultate assistendi carente, Ecclesia a momento celebrationis in radice sanat, dummodo matrimonium celebretur coram duobus testibus in ecclesia vel oratorio et assistens ab auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus ne matrimonio assistat.

Aut

Can. 315 (novus)

In errore communi de facto aut de iure, itemque in dubio positivo et probabili, sive iuris sive facti, facultatem assistendi supplet Ecclesia.

Ex consultatione facta non pervenerunt suggestiones quae ducere possint ad unam formulam accipiedam et aliam excludendam. Nam plures primam, plures autem aliam formulam laudaverunt.

De prima formula placuit claritas, eo quod institutum sanationis nullum dubium admittit circa validitatem matrimonii, dummodo verificantur conditions in canone statutae. Attamen de ipsa prima formula in luce posita est indeoles artificialis et subtilis, quae substantialiter evacuatur vis praecedentis can. 311, § 1, quare aliqui suaserunt ut supprimatur can. 315 et in can. 311, § 1 dicatur simpliciter valida esse matrimonia contracta *coram quolibet sacerdote vel diacono*, dummodo matrimonium celebretur in ecclesia vel oratorio et assistens ab auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus ne matrimonio assistat.

Praeterea non defuerunt qui timuerunt per primam formulam aliquos inductos iri ad agendum in fraudem legis.

Quae animadversiones quoad primam formulam perpenduntur attente a Consultoribus, qui censem periculum abusus esse verum, etiam si adderetur clausula circa necessitatem *bonae fidei*, cum difficile sit probare aliquem mala fide egisse.

Alia ex parte Consultores notant institutum erroris communis, prout in nova formula descriptum (In errore communi *de facto aut de iure* ... etc.) praebere sufficientem claritatem ad tollenda dubia de validitate matrimonii ratione formae.

His omnibus perpensis, fit suffragatio an placeat altera formula can. 315: placet 6, non placet 1.

Can. 316 (CIC 1097)

Assistens matrimonio illicite agit nisi:

1) *a parocho vel ab Ordinario loci in quo matrimonium celebratur, licentiam eidem assistendi obtinuerit, quoties vi delegationis generalis agit;*

2) *constito sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris.*

— Plures animadversiones factae sunt contra conditionem requisitam in n. 1 canonis, quia delegatio generalis fere inutilis evadit si assistens licentia parochi eget ut singulis matrimoniis licite assistere possit; proponitur ergo ut supprimatur n. 1 canonis.

Consultores censem licentiam petendam esse si parochus facile adiri possit, ideoque conditio de qua in n. 1 canonis mitigari potest. Post brevem discussionem Consultores hanc novam formulam canonis approbant:

« *Assistens matrimonio illicite agit nisi constito sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris atque, si fieri potest, de licentia parochi quoties vi delegationis generalis assistit.* »

Can. 317 (novus)

Matrimonia celebrentur in paroecia ubi alterutra pars contrahentium habet domicilium vel quasi domicilium vel menstruam commorationem: alibi celebrari potest cum licentia parochi huius loci si adsit iusta causa. Matrimonium autem vagorum qui nec menstruam commorationem habent celebretur in paroecia ubi actu commorantur.

— Aliqui proposuerunt ut repristinetur praferentia quae habetur in can. 1097, § 2 CIC, ut scilicet matrimonium pro regula coram sponsae parocho celebretur.

Fit suffragatio de hac propositione: placet 2, non placet 4, se abstinet 1.

— Est qui censeat agnoscendam esse sponsis libertatem celebrandi matrimonium ubi ipsi volunt.

Etiam duo Consultores idem sentiunt addita tamen clausula ut sponsi certiorem faciant parochum.

Sed alii Consultores volunt retinere normam prout est in canone, ut nempe requiratur licentia parochi ut alibi matrimonium celebrari possit. Favendum est enim ut, quantum fieri possit, matrimonia in propria communitate paroeciali celebrentur.

— Quibusdam minus placuit ut requiratur « iusta causa » ad habendum licentiam parochi pro celebratione matrimonii extra paroeciam; magis placeret delere mentionem iustae causae vel monitionem addere parochis ut ne facile licentiam denegent.

Consultoribus placet delere mentionem iustae causae.

— Plures dixerunt redactionem canonis non esse claram quod attinet ad verba « alibi celebrari potest cum licentia parochi *huius loci* ».

— Ad « vagos » quod attinet, nonnulli proposuerunt ut deleantur verba « qui nec menstruam commorationem habent ». Haec propositio Consultoribus placet.

His omnibus perpensis aliquis Consultor hanc formulam canonis proponit, quae omnibus placet:

Matrimonia celebrentur in paroecia ubi alterutra pars contrahentium habet domicilium vel quasi domicilium vel menstruam commorationem, aut, si de vagis agitur, in paroecia ubi actu commorantur; cum licentia proprii Ordinarii aut parochi proprii alibi celebrari potest.

Adunatio diei 18 octobris 1977

Huic adunationi praeest Cardinalis Praeses.

Resumitur quaestio de facultate delegandi etiam laicos, ut matrimoniis assistant tamquam testes qualificati, quae agitata fuit in recognitione can. 313, § 1.

Secretarius Commissionis refert de collatis consiliis cum Secretario S. Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino circa hanc quaestionem necnon de praxi abhinc paucos annos vigenti secundum quam SS. Congregationes competentes, pro suo cuiusque territorio, permittunt Ordinariis locorum, (qui, propriae Conferentiae Episcopalis favorabili obtento voto, argumentis fultam de hoc petitionem S. Sedi miserint), ut catholico fideli a se nominatim selecto facultatem tribuant officio fungendi testis qualificati in celebratione canonici matrimonii. Quare Secretarius proponit ut de hac praxi ratio aliqua habeatur in Codice et can. 313, § 1 ita compleatur. « Loci Ordinarius et parochus ... possunt facultatem ... delegare sacerdotibus et diaconis et, *de licentia S. Sedis, etiam laicis* ».

Aliquis Consultor censet hodierna adjuncta circa hanc quaestionem talia esse ut non per viam facultatis S. Sedis provideri debeat. Nam

si casus sunt frequentes in multis regionibus, iam convenit ut ex iure agnoscatur facultas Episcoporum delegandi certis sub conditionibus etiam laicos.

De sententia alterius Consultoris, haec facultas ut exceptio haberi debet, etiamsi frequenter detur et ideo convenit ut subordinetur licentiae S. Sedis.

Fit suffragatio an placeat reservare Sanctae Sedi talem facultatem: placet 4, non placet 2.

Hac suffragatione habita, praevalet sententia redigendi novum canonem in quo actualis praxis circa hanc quaestionem recipiatur.

Duo proponuntur formulae:

Prima formula:

Can. 313 bis

§ 1. *Ubi desunt sacerdotes et diaconi, possunt Ordinarii de licentia Sanctae Sedis, cum voto favorabili Conferentiae Episcoporum, laicos delegare ad assistendum matrimonii.*

§ 2. *Laicus seligatur idoneus, ad institutionem nupturientibus tradendam capax et qui liturgiae matrimoniali pie peragendae aptus sit.*

Altera formula:

Ubi non sufficientes sacerdotes vel diaconi adsunt, Episcopi (vel: Ordinarii loci), consentiente Conferentia Episcoporum, a Sede Apostolica facultatem per seipsum delegandi laicos ad matrimonia assistenda obtinere possunt.

Fere omnes Consultores praeferunt primam formulam, circa quam tamen aliquas emendationes proponunt.

Aliquis Consultor censet verba « de licentia Sanctae Sedis » non esse apta, quia agitur de facultate speciali quae obtineri debet; proponit ergo ut dicatur « obtenta facultate S. Sedis ». Quoad votum Conferentiae Episcopalis aliqui animadvertisunt hoc votum requirendum esse praevium, antequam petitio facultatis S. Sedi fiat. Loci Ordinarius praeterea debet « per seipsum » delegare laicum ad matrimoniis assistendum.

Quibus dictis, formula § 1 ita redigitur:

« Ubi desunt sacerdotes et diaconi, potest loci Ordinarius, praevio voto favorabili Episcoporum Conferentiae et obtenta facultate Sanctae

Sedis, per seipsum exercendam, delegare laicos qui matrimonii assistent ».

Consultores novum canonem approbant, attamen Cardinalis Praeses illos monet de opportunitate maturius perpendendi quaestionem, quae ceterum solutionem definitivam non potest habere sine approbatione aliorum instantiae.

Can. 318 (CIC 1098)

§ 1. In mortis periculo si haberri nequeat sine gravi incommmodo assistens ad normam cann. 312-313, matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus.

§ 2. Extra mortis periculum, si haberri vel adiri nequeat sine gravi incommmodo assistens ad normam cann. 312-313, matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus, dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam.

§ 3. In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos vel diaconus qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonii celebrazione adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

— Nonnulli suggesserunt ut in § 1 resumatur declaratio Comm. Int. Cod. diei 3 maii 1945 (*A.A.S.* 37, 1945, p. 149), addendo verba: « ... sine gravi incommmodo quod sacerdoti vel diacono matrimonio assistenti aut utriusque vel alterutri matrimonium contrahentium immineat ».

Consultores unanimiter censem haec verba declarativa non esse necessaria, quia res iam clare in doctrina traditur.

— Aliqui notam fecerunt praxim quae in quibusdam regionibus grassatur considerandi scilicet ut « grave incommodum » observantiam vetiti can. 284, § 2 (*Quamvis matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit*); ad hunc abusum tollendum proposuerunt ut declaretur « grave incommodum non haberri in casu can. 284, § 2 ».

Consultores dicunt hanc declarationem non esse necessariam, quia nemo dubitare potest talem praxim esse contra legem.

— Alia quaestio mota est ab aliquibus, qui occurrere volunt peculiaribus difficultatibus pastoralibus suae regionis circa applicacionem extraordinariae formae. Accidit enim in illis dissitis regionibus, ubi paucissimi sunt sacerdotes, quod saepe fideles positi sunt in conditionibus obiectivis quae requiruntur ad formam extraordinariam ap-

plicandam. Attamen illi nesciunt quidquam de forma extraordinaria et sibi persuasum habent illud unice verum esse matrimonium quod coram ministro sacro contrahitur.

Saepe illi accedunt ad magistratum civilem ad matrimonium contrahendum et, cum ineatur in circumstantiis can. 318, § 2, matrimonium est canonice validum. Postea, varias ob causas, illa matrimonia veniunt ad forum Ecclesiae et multa habentur dubia: fuitne grave incommodum? Parochus annuntiavitne suum adventum et ita impeditne canonicitatem per mensem? et praeterea, quod magis interest, partes semper persuasum habuerunt se vixisse in concubinatu et nunc vero monentur se esse matrimonio christiano coniunctae, eo quod aderant circumstantiae can. 318, § 2 quando ad magistratum civilem accesserunt.

Ad hanc gravem rerum condicionem vitandam, proposuerunt ut in fine can. 318 ponatur haec clausula: « numquam vero (contrahitur verum matrimonium) per actum quo matrimonium civile vel in religione non catholica contrahitur nisi antea saltem alterutra pars, altera sciente, expresse et coram testibus id statuerit ».

Duo Consultores tenent intentionem partium esse necessariam ut habeatur matrimonium canonicum.

Alius Consultor censet non requiri ut partes explicitam intentionem habeant contrahendi canonum matrimonium, sed ut *sciant* se, per illum actum, matrimonium canonicum contrahere.

Secundum quartum Consultorem quaeri debet an illi casus a proponentibus recensiti sint validi vel non ratione *consensus* potius quam ratione canonicae formae.

Primus Consultor censet quod si quaestio examinetur ratione veri consensus praestiti vel non, casistica vitari non potest; ad vitandam casisticam, melius est exigere intentionem contrahendi verum matrimonium, etsi id restringat ambitum applicationis formae extraordinariae. Ideo proponit hanc formulam can. 318:

§ 1. Inire intendentess *verum* matrimonium, illud valide et licite contrahere possunt coram solis testibus:

1) in mortis periculo, si haberi nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam iuris competens;

2) extra mortis periculum, si haberi vel adiri nequeat idem assistens ad normam iuris competens, dummodo prudenter praevideatur earum rerum condicionem esse per mensem duraturam.

§ 2. In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos vel diaconus qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

Deinde habentur suffragationes circa singulas partes canonis:

- de § 1, - pars generalis: placet 5, non placet 1.
- de § 1, n. 1: placet omnibus.
- de § 1, n. 2: placet omnibus.
- de § 2: placet omnibus.

Consultor qui suffragium negativum dedit de parte generali § 1, dicit se non approbare hanc formulam quia quoad substantiam nihil mutatur et confusio vero inducitur in ordine systematico. Nam in praesenti capite agitur de forma canonica, non de consensu.

Adunatio diei 19 octobris 1977

Can. 319 (CIC 1099)

§ 1. *Statuta superius forma servanda est, si saltem alterutra pars matrimonium contrahentium in Ecclesia catholica baptizata vel in eandem recepta est nec actu formaliter notorie ab ea defecerit, salvis praescriptis § 2.*

§ 2. *Si pars catholica, de qua in § 1, matrimonium contrahit cum parte non catholica ritus orientalis, forma canonica celebrationis servanda est tantum ad liceitatem; ad validitatem autem requiritur praesentia ministri sacri, servatis aliis de iure servandis.*

§ 3. *Quoad matrimonium inter partem catholicam de qua in § 1, et partem non catholicam, sive baptizatam sive non baptizatam, si graves difficultates formae canonicae servandae obstent, Ordinariis locorum ius est ab eadem in singulis casibus dispensandi, salva tamen aliqua publica forma celebrationis; Episcoporum autem Conferentiae est normas statuere quibus praedicta dispensatio concordi ratione alicite concedatur.*

De § 1

— De verbo « notorie », quod habetur in § 1, plures petierunt ut supprimatur sive quia difficultates pariet, sive quia contradictio habetur cum can. 281 (Matrimonio eius qui *notorie* aut *catholicam*

fidem abiecit ... parochus ne assistat ...), ubi indirecte innuitur eos qui in tali conditione versantur forma canonica teneri. Imo nonnulli petierunt ut supprimatur tota pericopes « nec actu formali aut notorie ab ea defecerit ».

Consultores generatim concordes sunt pro suppressione verbi « notorie », uno excepto, qui animadvertisit saepe haberi casus tam « notoriis » defectionis a fide ut non deceat illos lege formae canonicae servanda obstringere.

Fere omnes autem retinere volunt verba « nec actu formali ab ea defecerit », excepto quodam Consultore, cui placeret totam pericopem supprimere, quia in Lege Fundamentalis Ecclesiae habetur norma qua edicitur acatholicos « ordinationibus mere ecclesiasticis directe obligari non intelliguntur, nisi aliud statuatur ».

— Deinde fiunt suffragationes: an placeat supprimere « aut notorie »: placet omnibus; an placeat supprimere « nec actu formali »: placet 1, non placet 5.

— Una tantum Episcoporum Conferentia petit ut in lege quoque canonica aliqua ratio habeatur de forma a lege civili statuta ad matrimonium contrahendum.

Consultores unanimiter censem respundam esse talem propositiōnem, quae hodiernae tendentiae saecularizationis indulget.

— Aliqui (paucissimi tamen) suggesserunt ut detur Ordinariis facultas dispensandi a lege circa formam canonicam.

Consultoribus non opportunum videtur in hac materia aliam facultatem addere praeter illam de qua in can. 268 (urgente mortis periculo), secus abusus erunt in Ecclesia.

De § 2

— Propositum est ut in § 2 addatur: « ... requiritur praesentia ministri sacri assistentis et *benedicentis* ... ».

Consultoribus additio non placet, quia res pertinet ad peculiaritatem ritus orientalis.

— Suggestum est ut clausula quae habetur in § 2 « servatis aliis de iure rervandis », magis explicitetur ita ut aliquid dicatur de capacitate contrahendi partis quoque non catholicae. Quid faciendum ex. gr. si talis pars non sit « capax » secundum ius divinum et tamen habeatur « capax » in sua confessione religiosa et matrimonium contrahitur coram ministro acatholico ritus orientalis?

Consultores censem quaeſtiones de capacitate clare ac definite conſineri in capitibus de impedimentis ac de consensu, ſuperfluum proinde et contra ordinem ſystematicum eſſet quid in hoc loco de capacitate partium addere.

De § 3

— Suggestum eſt ut dicatur « Ordinario loci *in quo matrimonium celebratur* ius eſt » loco « Ordinariis locorum ius eſt ». Ratio enim habenda eſt circumſtantiarum localium, quas ſolus novit Ordinarius loci in quo matrimonium celebratur (placet 4, non placet 3).

— Aliquis Consultor proponit ut addatur « ...ſalva tamen ad validitatem aliqua publica forma celebrationis ... ». Placet omnibus.

— Plures Consultores censem deleri posſe, utpote inutile, verbum « licite » quod habetur in fine. Alii autem censem verbum non eſſe inutile, quia intendere quis poſſet normas Episcoporum Conferentiae ſervari debere ad validitatem.

Fit ſuffragatio an placeat delere verbum « licite »: placet 4, non placet 3.

Can. 320 (CIC 1100)

§ 1. *Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione ſerventur ritus in libris liturgicis, ab Ecclesia probatis, praescripti aut legitimis conſuetudinibus recepti.*

§ 2. *Episcoporum Conferentiae facultatem habent, probante Sede Apostolica, exarandi ritum proprium matrimonii, congruentem locorum et populorum usibus ad spiritum christianum aptatis, firma tamen lege ut minister sacer assistens matrimonio praesens requirat maniſtationem contrahentium consensus eamque recipiat.*

— Suggestum eſt ut in § 2 dicatur « ſacerdos vel diaconus » loco « minister sacer », quia per recentiora documenta pontificia conſtituta ſunt varia « ministeria » in Ecclesia.

Consultores potius praeferunt ut dicatur « ... firma tamen lege ut Assistens matrimonio ... ».

Adunatio diei 20 octobris 1977*Can. 321 (CIC 1103)*

§ 1. *Celebrato matrimonio, parochus loci celebrationis vel qui eius vices gerit, etsi neuter eidem astiterit, quamprimum adnotet in matrimoniorum regestis nomina coniugum, ministri assistentis ac testium, locum et diem celebrationis matrimonii iuxta modum a Conferentia Episcoporum praescriptum.*

§ 2. *Quoties matrimonium ad normam can. 318 contrahitur, minister sacer, si celebrationi adfuerit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus parochum aut Ordinarium loci de inito coniugio quamprimum certiorem reddere.*

§ 3. *Quoad matrimonium cum dispensatione a forma canonica contractum, Episcoporum Conferentiae normas edant, quibus modus communis ratione determinetur, quo de hoc matrimonio in regestis matrimoniorum et baptizatorum constet.*

De § 1

— Suggestum est ut in § 1 dicatur: « ... adnotet ... saltem nomina coniugum ... », quia iure particulari aliae adnotationes requiri possunt.

Propositio Consultoribus non placet.

— Relator proponit ut dicatur « Assistentis » loco « ministri assistentis » (placet 6, non placet 1).

— Suggestum est ut addatur: « ... iuxta modum ab Episcoporum Conferentia vel ab Episcopo praescriptum » (omnibus placet).

De § 2

— Suggestum est ut dicatur « sacerdos vel diaconus » loco « minister sacer » (placet omnibus).

De § 3

Aliquis Episcopus animadvertisit modum, quo constare debet in regestis de matrimonio cum dispensatione a forma canonica contractum, determinari opportunius deberi in Codice, quia si res demandetur Episcoporum Conferentiis non habebitur uniformitas inter varias regiones et difficultates inde habebuntur quando investigari debet an quis matrimonium contraxerit.

Suggestio haec placet Consultoribus, qui longam exinde disceptationem habent inter se ad seligendum aptiorem ac opportuniorem locum ubi tale matrimonium adnotari debeat.

Concordia tandem habetur in hoc quod tale matrimonium in Curia dioecesana adnotari debet, a qua dispensatio a forma canonica concessa est; unus tantum Consultor discrepat.

Item fere omnes concordant (placet 5, non placet 1, se abstinet 1) ut adnotetur etiam in paroecia partis catholicae ubi investigationes peractae sunt. Maiori parti autem non placet (placet 2, non placet 5) ut adnotetur in paroecia in cuius ambitu matrimonium contractum est.

Omnis Consultores praeterea concordes sunt ut adnotetur sive dispensatio a forma canonica sive matrimonium celebratum.

De onere curandi ut adnotatio fiat, omnes concordes sunt ut incumbat Ordinario qui dispensationem a forma concessit. An etiam parti catholicae dari debeat onus curandi de adnotatione matrimonii, maior pars positive respondit (placet 4, non placet 3).

His omnibus disceptatis, sequens formula ab aliquo Consultore proponitur et ab omnibus approbatur:

« Ad matrimonium quod attinet cum dispensatione a forma canonica contractum, loci Ordinarius qui dispensationem concessit curet ut inscribatur dispensatio et celebratio in libro matrimoniorum tum Curiae suae tum paroeciae partis catholicae propriae, cuius parochus inquisitiones de statu libero peregit; de celebrato matrimonio eundem Ordinarium et parochum quamprimum certiore reddere tenetur coniux catholicus, indicans etiam locum celebrationis necnon formam publicam servatam ».

Can. 322 (novus)

§ 1. Matrimonium contractum adnotetur etiam in regestis baptizatorum in quibus baptismus coniugum descriptus est.

§ 2. Si coniux matrimonium contraxerit non in paroecia in qua baptizatus est, parochus loci celebrationis matrimonii notitiam initi coniugii ad parochum loci collati baptismi quamprimum transmittat; nec acquiescat donec peractae adnotationis notitiam receperit, quae processui praemaritali adiungenda est.

— Aliquis Consultor proponit ut in § 1 dicatur « inscriptus » loco « descriptus » (placet omnibus).

— Nonnulli petierunt suppressionem ultimae partis § 2^{ae}, quia non aequum ipsis videtur aliam obligationem imponere illi qui iam munus

suum adimplevit per communicationem notitiae initi coniugii ad parochum collati baptismi.

Fit suffragatio an placeat haec propositio: placet 4, non placet 3.

— Aliquis Consultor proponit ut dicatur « actis » loco « processu » (placet omnibus).

Can. 323 (novus)

Quoties matrimonium vel convalidatur pro foro externo, vel nullum declaratur, vel legitime praeterquam morte solvitur, parochus loci celebrationis matrimonii certior fieri debet, ut adnotatio in regestis matrimoniorum et baptizatorum rite fiat.

— Suggestum est ut addatur « ... parochus tum loci celebrationis quam baptismi collati certior fieri debet ... ».

Propositio non placet Consultoribus, quia de re melius provideatur per aliam perycopen canonis quae dicit: « ... ut adnotatio in regestis matrimoniorum et baptizatorum rite fiat ».

CAPUT VII DE MATRIMONIO SECRETO CELEBRANDO

Can. 324 (CIC 1104)

Ex gravi et urgente causa loci Ordinarius permittere potest ut matrimonium secreto celebretur ad normam cann. 325-327.

— Ab una tantum Episcoporum Conferentia suggestum est ut sive in titulo huius capitulis sive in canonibus repristinetur denominatio « matrimonii conscientiae » quae habetur in CIC, secus haberi forsitan poterunt conflictus cum auctoritate civili.

Consultores censem tales conflictus haberi si hoc instituto utatur in fraudem legis civilis. Quaestio enim non est de nomine sed de re et periculum conflictus revera adest si hoc instituto imprudenter utatur in fraudem. Ad periculum vitandum institutum penitus supprimi deberet; quod non videtur opportunum quia dantur revera casus in quibus ad bonum animarum apta solutio praebetur per matrimonium secreto celebratum, quin id in fraudem alicuius fiat.

— Suggestum est ut in can. 324 deleantur verba « ex urgente » causa.

Propositio non placet Consultoribus, quia celebratio secreta haberi debet ut exceptio, sive quia adsit gravis causa sive quia celebratio matrimonii differri non possit.

Can. 325 (CIC 1105)

Permissio matrimonii secreti secumfert:

- 1) *omissionem publicationum matrimonialium ad normam can. 250 praescriptarum;*
- 2) *obligationem gravem secretum servandi ex parte Ordinarii loci, ministri assistentis, testium, et alterius coniugis altero non consentiente divulgationi.*

— In novissima recognitione canonis qui agit de publicationibus faciendis, norma ita amplificata est ut sermo ibi sit non tantum de « publicationibus » sed etiam de « aliis opportunis mediis ad investigationes ». Consequenter in praesenti canone (n. 1) loqui debet de vitanda divulgatione quae haberetur non solum per « publications » sed etiam per alia « media ad investigationes ». Ad hunc finem varii nisus habentur novae redactionis n. 1 canonis. Tandem omnibus placet sequens formula ab aliquo Consultore proposita:

« 1) ut secreto fiant investigationes quae ante matrimonium peragendae sunt ».

— Proponentibus aliquibus Consultoribus, formula n. 2 ita mutatur:

« 2) ut secretum de matrimonio celebrato servetur ab Ordinario loci, Assistenti, testibus, coniugibus, nisi uterque coniux divulgationi consentiat ».

Can. 326 (CIC 1106)

Obligatio secretum servandi, de qua in can. 325, 2º, ex parte Ordinarii loci, cessat si grave scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat.

— Suggestum est ut canon compleatur his verbis: « idque notum fiet partibus ante matrimonii celebrationem ».

Propositio omnibus Consultoribus placet.

— Suggestum est etiam ut repristinetur aliis casus cessationis obligationis secreti, prout est in can. 1106 CIC, scilicet quando « parentes non carent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari vel christianam filiorum educationem negligent ».

Consultores censem in actuali contextu religioso et sociali hanc normam non esse opportunam.

Can. 327 (CIC 1107)

Matrimonium secreto celebratum in peculiari tantummodo regesto, servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379 CIC, adnotetur.

De hoc canone factae non sunt animadversiones.

CAPUT VIII DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS MATRIMONII

Can. 328 (CIC 1108)

Matrimonium quolibet anni tempore contrahiri potest, secundum probatos libros liturgicos.

Aliquis Episcopus dubitat utrum sapienter antiqua prohibitio celebrationis tempore adventus et quadragesimae suppressa sit. Alii petierunt ut potius decisio remittatur Episcoporum Conferentiis.

Nonnullis autem superflua visa est haec norma quia, si nihil dicitur de tempore, clarum erit quolibet anni tempore matrimonium contrahi posse.

Fit suffragatio an placeat canonem delere: placet 4, non placet 3.

Can. 329 (CIC 1109)

§ 1. *Matrimonium inter catholicos vel inter partem catholicam et partem non catholicam baptizatam celebretur in ecclesia paroeciali; in alia ecclesia aut oratorio celebrari poterit de licentia Ordinarii loci vel parochi.*

§ 2. *Matrimonium in aedibus privatis vel in alio convenienti loco celebrari Ordinarius loci permittere potest.*

§ 3. *Matrimonium inter partem catholicam et partem non baptizatam in ecclesia vel in alio convenienti loco celebrari poterit.*

— Quoad § 1 paucissimae animadversiones factae sunt. Aliquis petiit ut parochus licentiam dare possit tantum si « alia ecclesia vel oratorium » sit in ambitu sui territorii paroecialis. Alter votum fecit ut sustineatur etiam in novo Codice vetitum celebrandi matrimonia

in oratoriis religiosarum vel seminarii. Pluribus autem norma § 1 placuit et ideo Consultores censem nihil mutandum esse.

— Circa § 2 nonnulli petierunt ut deleantur verba « in aedibus pri-vatis », quia sufficiunt verba « in alio convenienti loco ». Propositio haec Consultoribus placet.

Non desunt qui aliquam limitationem invocaverunt, ita ut celebratio matrimonii extra locum sacrum non habeatur nisi gravi ex causa. Consultoribus tamen non placet de hac limitatione quid dicere in canone, cum ipsius Ordinarii sit, singulis in casibus, rationes perpendere ad licen-tiam concedendam ut matrimonium extra locum sacrum celebretur.

Suppresso canone 328, caput IX constat uno tantum canone; ideo quidam Consultores proponunt ut can. 329 ponatur post can. 319, in capite de forma canonica. Post brevem discussionem etiam alii Consultores concordant circa hanc propositionem.

CAPUT IX

DE MATRIMONII EFFECTIBUS

Can. 330 (CIC 1110)

Ex valido matrimonio enascitur inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; matrimonium christianum confert praeterea sacramentalem gratiam qua coniuges ad sui status officia et dignitatem roborantur et veluti consecrantur.

— Nonnulli suppressionem huius canonis proposuerunt vel quia valorem doctrinalem dumtaxat habeat, vel quia eiusdem materia in canonibus praecedentibus passim continetur.

Consultor quidam admittit hunc canonem esse doctrinalem, attamen per ipsum recensetur effectus qui est praecipuus matrimonii; ideoque si deleretur canon, enumeratio effectus matrimonii, quae in sequentibus canonibus fit, esset omnino trunca.

Alii Consultores idem sentiunt.

— Propositorum fuit ut initio canon ita mutetur: « Ex valido pacto coniugali enascitur ... »; hoc modo enim clarius propositio intelligitur de matrimonio in fieri. Suggestio autem maioritati Consultorum non placet (placet 2, non placet 4, abstinet 1).

— De verbis « natura sua » suggestum fuit ab aliquibus ut deleantur,

cum non sit omnino certum, indissolubilitatem matrimonii postulari a iure naturae.

Consultoribus vero non placet illa verba delere, quae in CIC item habentur, secus posset quis interpretare novum Codicem voluisse quaestionem aliquo modo decernere ac praeiudicare.

Circa aliam partem canonis, ubi de gratia sacramentali matrimonii sermo fit, quidam suggererunt ut penitus deleatur ad vitandas in lege superflas determinationes doctrinales; alii autem postulaverunt ut potius compleatur per additionem verborum « non ponentibus obicem »; alii denique dixerunt aliam partem canonis diverso modo esse redigendam, secus posset quis putare in prima parte canonis agi de matrimonio in genere, in alia vero parte de matrimonio christianorum.

Consultores, attentis his suggestionibus, censem difficultates solvi posse si pressius verba Concilii (cf. Const. *Gaudium et Spes*, n. 48) adhibeantur. Post brevem discussionem altera canonis pars ita redigitur: « in matrimonio praeterea christiano coniuges ad sui status officia et dignitatem peculiari sacramento roborantur et veluti consecrantur ».

Can. 331 (CIC 1111)

Utrique coniugi aequum officium et ius est ad ea quae ad consortium vitae coniugalis pertinent.

Circa hunc canonem nonnullae animadversiones factae sunt quae tendunt ad pressius determinanda officia et iura coniugum, uti ex. gr. multiplicatio populi christiani, adiutorium et servitium sibi invicem praestare etc.

Consultores respondent finem canonis esse statuendi principium aequalitatis coniugum sive quoad iura sive quoad officia, qui finis optime assequitur per formulam canonis prout est.

Can. 332 (CIC 1130)

Parentes gravissimum et ius primarium habent prolis educationem tum physicam et socialem et culturalem, tum moralem et religiosam pro viribus curandi, mediisque ad haec necessariis providendi.

— Ante omnia mendum typographicum initio corrigitur; textus enim ita legi debet: « Parentes officium gravissimum et ius ... ».

Proponitur ab aliquo Consultore ut deleantur ultima verba « mediisque ad haec necessariis providendi », utpote superflua. Propositio aliis Consultoribus placet.

Adunatio diei 21 octobris 1977

Can. 333 (CIC 1114)

Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo.

— Nonnulli suggesserunt ut cann. 333-335 schematis penitus deleanorunt sive quia tendentia habetur in iuribus civitatum aequiparandi in omnibus filios legitimos et filios illegitimos, sive quia in novo Codice canonico iam non sustinetur irregularitas ex defectu natalium, ideoque non est ratio retinendi in Codice notiones filiorum legitimorum vel illegitimorum quae nullam consequentiam in iure habent.

Aliquis Consultor animadvertisit hanc notionem adhuc esse necessariam, quia consequentias saltem in iure particulari certo certius habebit. Post brevem discussionem, fit suffragatio an placeat delere cann. 333-335: placet 1, non placet 4, abstinent 2.

— De can. 333 una tantum suggestio facta fuit ut nempe dicitur « ... ex matrimonio canonico valido vel putativo ».

Propositio non placet Consultoribus, quia additio videtur superflua immo aliquo modo aequivoca.

Can. 334 (CIC 1115)

§ 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentiibus argumentis contrarium probetur.

§ 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post dies 180 a die celebrati matrimonii, vel infra dies 300 a die dissolutae vitae coniugalis.

De hoc canone non habentur animadversiones, una tantum excepta, secundum quam norma § 2 delenda esset utpote inutilis, vel ita minuta ut non poni debeat in lege generali.

Can. 335 (CIC 1116)

Filii illegitimi legitimantur praeterquam per rescriptum Romani Pontificis, per subsequens matrimonium parentum sive validum sive putativum.

Suggestum fuit ut redactio canonis ita mutetur: « ... legitimantur per subsequens matrimonium ..., vel per rescriptum S. Sedis ». Legi-

timatio ope S. Sedis enim habetur ab extrinseco, legitimatio per subsequens matrimonium vero habetur ab intrinseco. Suggestio haec placet omnibus Consultoribus.

Can. 336 (CIC 1117)

Filii legitimati, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit.

Suggestum fuit ut in canone addatur « ... nisi aliud expresse iure cautum fuerit ». Propositio omnibus placet.

CAPUT X

DE SEPARATIONE CONIUGUM

Art. 1

DE DISSOLUTIONE VINCULI

Can. 337 (CIC 1118)

Matrimonium ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

— Circa hunc canonem nonnullae suggestiones factae sunt quae tangunt vim doctrinalem ipsius canonis. Aliquis censuit rationem habendam esse consummationis existentialis matrimonii quae habetur per plenam unionem in fide. Alius autem dixit in canone praeberi doctrinam nimis peremptoriam, quae, attenta traditione antiquorum Patrum necnon praxi quarundam ecclesiarum orientalium, aliquo modo mitiganda esset. His de causis, quidam proposuerunt ut in canone dicatur « dissolvitur » loco « dissolvi potest », ita ut appareat mentem canonis esse de disciplina sequenda potius quam de doctrina tenenda.

Consultores nolunt de his quaestionibus agere, iuxta criteria iam initio definita non attingendi nempe quaestiones doctrinales a magisterio Ecclesiae investigandae ac solvendae.

— Nonnulli proposuerunt ut dicatur in canone « Matrimonium duorum baptizatorum ratum et ... ».

Consultores respondent talem additionem non esse necessariam quia in canonibus praeliminaribus dictum est « matrimonium ratum » esse matrimonium validum *baptizatorum*.

Can. 338 (CIC 1119)

Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam a Romano Pontifice dissolvi potest iusta ex causa, etsi alterutra pars sit invita.

— De sententia cuiusdam Universitatis Studiorum retinenda sunt in canone verba CIC (can. 1119) « Matrimonium dissolvitur per dispensationem a Sede Apostolica ». In hac enim locutione latet forsitan ratio quaedam agendi quae in futuro inducere potest Ecclesiam ad dissolvendum « per dispensationem » matrimonium ratum et consummatum quoque. Haec ratio agendi in hoc consistit: matrimonium obiective non solvitur, sed obligationes inde profluentes suspenduntur.

Consultores censem talem interpretationem fundamento carere.

— Nonnulli petierunt ut tribuatur Episcopis facultas dispensandi super matrimonio rato et non consummato, vel saltem ut dicatur « ab auctoritate ecclesiastica » loco « a Romano Pontifice », ita ut discussiones theologicae de potestate vicaria et de possibilitate delegationis eiusdem apertae maneant.

Consultores discussionem de hac propositione habent et, quamvis aliqui censeant hanc potestatem pertinere de se etiam Episcopis, omnes tamen volunt disciplinam vigentem tenere ut nempe talis facultas reservetur Summo Pontifici.

— Suggestum est ut dicatur « solvi » loco « dissolvi ».

Consultores praferunt verbum « dissolvi » quod habetur in traditione et in CIC.

— Quidam dubitaverunt de opportunitate suppressionis verborum « utraque parte rogante vel alterutra », quia mirum videtur matrimonium dissolvi posse a Summo Pontifice etiamsi neutra pars id petat.

Consultor quidam memorat mentem Coetus, qui voluit quibusdam casibus consulere quando partes nolunt dispensationem petere, attamen utile et opportunum est ut dispensatio habeatur.

Post parvam discussionem fit suffragatio an placeat represtinarare verba CIC « utraque parte rogante vel alterutra »: placet 4, non placet 3.

Can. 339 (CIC 1120)

§ 1. *Matrimonium, initum a duobus non baptizatis, solvitur ex privilegio paulino in favorem fidei partis, quae baptismum recepit, celebratione eiusdem partis novi matrimonii, dummodo altera pars non baptizata discedat, ad normam can. 339 § 2, 343 et 345.*

§ 2. *Discedere censetur altera pars si nolit pacifice cohabitare cum parte baptizata sine contumelia Creatoris, nisi haec post baptismum receptum iustum illi dederit discedendi causam.*

Aliquis Consultor votum exprimit ut in recognitione instituti privilegii paulini seponantur omnes normae processuales, quae in librum de processibus transferri deberent, ita ut in hac parte paucae tantum normae substantiales prostent.

De can. 339 § 1

Suggestum est ab aliquo Episcopo ut addatur in canone: « ... partis quae baptismum in *Ecclesia catholica* recepit, celebratione eiusdem partis novi matrimonii *cum persona catholica aut saltem baptizatam*, dummodo etc. » (cf. CIC can. 1120 § 2).

Consultores respondent in canone proposito receptam esse recentiorem praxim Ecclesiae, iuxta quam privilegium paulinum obtinet etiam in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam initio cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Ambitus privilegii paulini ergo latior fit, quod quidem ad potestatem Ecclesiae pertinet. Omnibus Consultoribus ideo placet redactio canonis prout est.

— Suggestum est ut deleatur verbum « altera » utpote superfluum. Propositio omnibus placet.

— Proponentibus quibusdam Consultoribus discussio aliqua habetur de verbis *celebratione eiusdem partis novi matrimonii* ut melius per ipsa declaretur dissolutionem prioris matrimonii haberri eo ipso quod novum matrimonium contrahatur. Qua de causa proponitur ut dicatur: « ipso facto quo novum matrimonium ab eadem parte contrahitur » (placet 4, non placet 2, abstinet 1).

— Circa ultimam clausulam canonis, de referentia scilicet can. 339 § 2, 343 et 345, suggestum fuit ut compleatur citando etiam can. 342; referri enim debent sive canones de discessu partis non baptizatae sive canones de novo matrimonio partis baptizatae.

Maioritati autem Consultorum magis placeret illam clausulam penitus delere. At unus Consultor animadvertisit saltem referentiam can. 339 § 2 servandam esse, quia ad legitimam fruitionem privilegii paulini non

sufficit quicumque « discessus », sed ille « discessus » requiritur qui in § 2 describitur.

De sententia Relatoris haec suggestio non potest apte considerari nisi antea fiat recognitio § 2 ita ut ipsius textus definitivus p[re] oculis habeatur.

Alter Consultor idem sentit et proponit ut in § 2 clarificetur tota notio « discessus » alterius partis, qui in hoc consistit: *a)* nolit cohabitare, vel *b)* nolit pacifice cohabitare nisi cum contumelia Creatoris. Proinde idem Consultor proponit ut canon ita redigatur: « Altera pars discedit si nolit cohabitare vel nolit pacifice cohabitare cum parte baptizata sine contumelia Creatoris, nisi haec ... ».

Tertius quidam Consultor non approbat talem redactionem quae praebet clarificationem notionis « discessus » de qua in § 1. Melius est, dicit ipse, si spatium aliquod relinquatur iurisprudentiae clarificandi quid « discedere » significet.

Post hanc suggestionem, alter Consultor ita proponit formulam § 2: « Discedere quoque censetur pars non baptizata si nolit coabitare vel nolit pacifice ... » (placet 5, non placet 2).

Posita hac redactione § 2, omnes Consultores concordant ut in § 1 supprimatur clausula: « ad normam can. 339, § 2 etc. ».

Can. 340 (CIC 1121)

§ 1. *Salvo praescripto § 2, ut pars baptizata novum matrimonium contrahere valeat, pars non baptizata semper interpellari debet:*

- 1) *an velit et ipsa baptismum recipere;*
- 2) *an saltem velit cum parte baptizata pacifice coabitare, sine contumelia Creatoris.*

§ 2. *Haec interpellatio post baptismum fieri debet; at loci Ordinarius, gravi de causa, permittere potest ut interpellatio ante baptismum fiat; idem, gravi pariter de causa, ab interpellatione dispensare potest, sive ante sive post baptismum, dummodo ex processu saltem summario et extrajudiciale constet eam fieri non posse aut fore inutilem.*

De § 1

Aliquis Consultor proponit suppressionem verborum: « Salvo ... § 2 ». Propositio omnibus placet.

Alius Consultor proponit ut dicatur: « Ut pars baptizata novum matrimonium valide contrahat, pars ... » (omnibus placet).

De § 2

Suggestum est ut dicatur « ... at loci Ordinarius, gravi de causa, permettere potest ut interpellatio ante baptismum fiat, immo et ab interpellatione dispensare sive ante sive post baptismum, dummodo ... ».

Suggestio omnibus Consultoribus placet, uno excepto, qui censem clausulam « gravi de causa » in nova redactione respicere tantum casum interpellationis ante baptismum, non vero casum dispensationis ab interpellatione.

— Nonnullis minus placuerunt verba « ex processu saltem sumario » quia ipsa important formalitates et iter aliquod processuale. Consultores, huic difficultati satisfacere volentes, hanc redactionem approbant: « .. dummodo modo procedendi saltem summario et extraiudiciali constet ... ».

Can. 341 (CIC 1122)

§ 1. *Interpellatio fiat regulariter de auctoritate Ordinarii partis conversae, a quo Ordinario concedendae sunt alteri coniugi, siquidem eas petierit, induciae ad respondendum, eo tamen monito fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, eius silentium pro responsione negativa habeatur.*

§ 2. *Interpellatio etiam privatim facta ab ipsa parte conversa valet, immo est licita, si forma superius praescripta servari nequeat.*

§ 3. *In utroque casu de interpellatione facta deque eiusdem exitu in foro externo legitime constare debet.*

De hoc canone non factae sunt animadversiones.

Can. 342 (CIC 1123)

Pars baptizata ius habet novas nuptias contrahendi:

- 1) *si altera pars negative interpellationi responderit;*
- 2) *si interpellatio legitime omissa fuerit;*
- 3) *si pars non baptizata, sive iam interpellata sive non, prius perseverans in pacifica cohabitatione sine contumelia Creatoris, postea sine iusta causa discesserit, servatis cann. 340-341.*

— Consultores decernunt ut in fine canonis dicatur *firmis praescriptis loco servatis.*

— Suggestum fuit ut in n. 3 deleantur verba *sine iusta causa*
Duo Consultores hanc suggestionem admittunt, quia vi can. 339,

prout nuper recognitus est, omnes casus *discessus*, etiam sine iusta causa peracti, praebent ius ad novum matrimonium partis baptizatae.

Omnis alii Consultores vero retinere volunt verba *sine iusta causa*, ne ansa abusus praeveatur parti baptizatae. Deinde fit suffragatio an placet delere verba *sine iusta causa*: placet 2, non placet 5.

Hac suffragatione peracta, quidam Consultor petit ut etiam in can. 339 § 1 addatur « ... dummodo pars non baptizata *sine iusta causa* discedat ».

Consultores hanc novissimam suggestionem admittunt, attamen, ad redactionem quod attinet, praferunt servare can. 339 § 1 prouti est et can. 339 § 2 vero ita redigere: « Discedere censetur pars non baptizata si nolit cum parte baptizata cohabitare vel cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris, nisi haec post baptismum receptum iustum illi dederit discedendi causam ».

Aliquis Consultor animadvertisit per talem restrictionem can. 339 minime provideri casibus eorum qui non « discedunt » (sensu technico ad mentem canonis) et tamen cohabitare non possunt cum parte baptizata ob circumstantias quae non pendent ab ipsorum voluntate. In talibus adiunctis iure vigenti (can. 1125) pars baptizata potest aliud matrimonium contrahere, et etiam in novo Codice oportet de his casibus cavere. Suggestio haec placet Consultoribus, et ideo accurate discussio ac plures nisus habentur novae redactionis can. 339 § 2 ita ut includatur ibi etiam casus qui in Const. Gregorii XIII desribitur quando scilicet restauratio cohabitationis ratione captivitatis, persecutionis aliave huiusmodi causa impossibilis evaserit. Tandem alter Consultor proponit ut de hoc casu ratio habeatur in can. 344 et quoad can. 339 § 2 stetur in decisio. Propositio haec omnibus placet.

Adunatio diei 30 ianuarii 1978

Can. 343 (CIC 1124)

Etiam in casu usus privilegii paulini, Ordinarius loci, gravi tamen de causa, dispensare potest ab impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis praescriptis cann. 277-280 et 286.

Aliquis Consultor proponit ut materia cann. 342 et 343 in unico canone disponatur, hoc ordine systematico servato: « Adimpletis praescriptis de quibus in can. 340: